Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26344
Copyright: Admont, Benediktinerstift

30

uit senatores et centuriones sic oportuisse omnia fieri.
quemadmodum ihesus christus fecit. Qua enim nocte tradebatur. acce-
pit panem et gratias agens fregit et dixit. Accipite et
manducate. hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.
hoc facite in meam commemorationem. Similiter et ca-
licem. postquam cenavit dicens: Hic calix novum testa-
mentum est in meo sanguine. hoc facite quotienscumque bibe-
ritis in meam commemorationem. Ibi sacerdotio functus
est secundum ordinem melchisedech. post esum agni faciens
sacrificium panis et vini. et ubi completum est desiderium
omnium seculorum. quod non habentes sacrificium sufficiens ad
expiandum peccatum properaverunt sacrificare quod potue-
runt. de quibus et iacob in benedictionibus ioseph. bene-
dictiones inquid patris tui confortate sunt benedictio-
nibus patrum eius donec veniret desiderium collium eternorum.
Hoc facientes sive sumentes nos competenti antidoto
curamur servato ordine iustitie. ut quia crediderunt
homines primi illud quod non videbant. scilicet pomo
illi secundum dictum serpentis virtutem inesse effectivam
divinitatis sive divine similitudinis. et comedendo
mortui sunt. credamus nos econtra illud quod non videmus
carneis oculis. scilicet sacrificium panis et vini secundum
dictum filii dei veritatem inesse carnis eius et sanguinis. et
comedendo vivamus. est secuta per hoc remissionem pecca-
torum. ·I· Forsitan hoc tandem dices michi de sacri-
ficio illo panis et vini quod de baptismo dixisti michi.
scilicet quod virtus eius ad inferos descenderit. et omnes
qui illic erant eodem cibo et potu refecti sint. ·X·
Plane hoc dico. quia iccirco dominus noster ihesus christus secundum id quod est
deus dei verbum. dictusque et est vere panis angelorum visitatione
sua refecit et pavit omnem multitudinem animarum fidelium.
et secundum corpus in eundem ventrem terre receptus quo sepulta